

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Consideracio sui y
cum fonte primo

Qualiter in alienis uides tam parua et in tuis tam magna transcurris?

Si te magis diligis quam proximum, quare ipsum procuras et non te ipsum?

Si autem te ipsum contempnis, manifestum est quod iam non est procuracio
sed potius detractio,

cum omni diligencia inuestigare oportet que tua sunt,

et ita ea que proximi sunt decernes.

Crisostomus super illud Matthei VII.: Quid autem uides festucam in oculo et cetera.

Qui enim in his quae aliorum sunt ita es amarus, ut et ea quae parua sunt uideas, qualiter in his quae tua sunt, ita factus es deses, ut quae magna sunt transcurras? proice primum trabem de oculo tuo.

Vides quoniam non prohibet iudicare, sed iubet abstrahere primum trabem de oculo, et tunc quae aliorum sunt emendare. Etenim quae sui ipsius sunt, aliquis magis nouit, quam quae aliorum sunt, et quae maiora sunt magis uidet, quam quae minora, et seipsum magis diligit, quam proximum, quare si procurans facis, teipsum procura prius, ubi et manifestius et maius est peccatum.

Si autem teipsum contempnis, manifestum est quoniam et fratrem non procurans iudicas, sed odio habens, et diffamare uolens.

Iohannes Chrysostomus, *In Mattheum homiliae interpretatione Burgundio*, 23 (Biblioteca apostolica Vaticana, MS Vat. lat. 383, fol.87vb, ll.21-36);

cf. Iohannes Chrysostomus, *In Mattheum homiliae interpretatione Aniani*, 24 (1503 Venice ed., fol.66r, ll.10-16); cf. PL 57, col.309-10, ll. 58, 1-12.

Etsi uiderint copiosiori cibo potitum, amari efficiuntur accusatores, cotidie ipsi inebriantes, et crapulam patientes, nescientes quoniam cum propriis peccatis, maiorem sibi ipsis huic congregant ignem et omni seipsos priuant excusatione, quoniam enim oportet cum diligencia inuestigare quae tua sunt, tu primus legem posuisti, ita ea quae proximi sunt discernens.

Iohannes Chrysostomus, *In Mattheum homiliae interpretatione Burgundio*, 23 (Biblioteca apostolica Vaticana, MS Vat. lat. 383, fol.87va-vb, ll.35-41, 1-3);

cf. Iohannes Chrysostomus, *In Mattheum homiliae interpretatione Aniani*, 24 (1503 Venice ed., fol.65v-66r, ll.50-51, 1-2); cf. PL 57, col.309, ll.36-42.